

BX 11177

appellatio ad illud Archiepiscopi in qua eadem forma de qua dictum est servabitur. A judicio vero Archiepiscopi in prima instantia appellari poterit ad tribunal Episcopi senioris in Provincia. Salvo semper in omnibus jure et auctoritate S. Sedis Apostolice.

DECRETUM XII.

De Decanis.

Quum diœses sint valde extensæ, ita ut Episcopi ignorant multa quæ pro eorum officio scitu necessaria vel valde utilia forent, decernimus ut Decanatus instituantur.

Décanorum officia hæc sunt.

Decani officium est, Pastores sui Decanatus in parochias introducere, super eos vigilare, eos cum charitate admonere privatim, quod si hoc non sufficiat, Episcopum certiorem reddere de casu. "Si frater tuus in te peccaverit" (Matt. xviii. 15). Debet informare Episcopum de aliquo gravi scandalo vel abusu, si occurrat in suo Decanatu, ut tollatur; si Decanus ipse esset scandalosus, senior Parochus partes aget Decani. Quum aliquis Pastor per breve tempus abest a parochia, debet Decanus curare ut alius in ejus locum sufficiatur, præsertim diebus dominicis et festis, et ut infirmi visitentur, celebrantur funera vel aliæ res quæ urgeant non omittantur.

Decanus debet declarare, quibus negari debet sepultura ecclesiastica, quando impossibilis est recursus ad Episcopum. Opportunum est ut Decani obtineant delegatam facultatem benedicendi linteamina ab Episcopo, qui ipse delegandi facultatem a S. Sede instructus sit. Visitabit Sacerdotes ægrotos in suo decanatu, et videbit num habeant omnia quæ in eorum